

21

DOLORUM
COLICVM SATVRNINVM
PVLSVMQVE INTESTINALEM
AB VSV SATVRNINORVM
EXTERNO ORTVM

***** P R A E S I D E *****

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VITL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. DECEMBRIS MDCCCLXXXVII.
DOCTORIS MEDICI HONORES
LEGITIME IMPETRATVRVS

PVBЛИCE DESCRIPT


THEOPHILVS HOFFMANN,
DROSSensis NEO - MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

DOGFORTEN
COTICAM SAGARINUM
PISUMAGT. INESTINATEM
AL. 12. A. SACRUM IN ORAN
TIBIUS GRATIA
+ + + + + + + + + +
TIBIUS
PISUMAGT. INESTINATEM
AL. 12. A. SACRUM IN ORAN
TIBIUS GRATIA
D. HOMINIS MEDIC. NONHES
TIBIUS INESTINATEM
TIBIUS
ИМАНЧОУ САЛГЫКТ
2010-07-07 10:00:00

ХАНЫК ОД ИДИМ
ОД ИДИМ ОДИДИМ



PROOEMIVM.

Ex quo notissima illa, ne dicam famosa,
medicamenta Goulardiana, vt solent ea,
quae a Gallis offeruntur, nostratisbus esse
commendatissima, apud nos vsu inualue-
runt: ex eo quoque tempore quaedam qui-
dem bona, sed longe plura quoque mala ex
improuida atque mon satis circumspēcta eo-
rundem applicatione in sanitatem hominum
sunt illata; quidquid etiam contradicant ni-
mii Goulardianae methodi laudatores at-
que aestimatores. Quis enim ferat gargari-

A 2 smata,

smata, aqua, quam dicunt, vegetominerali
mista? quis linimenta, cerato saturni in-
trita, laxis gingiuis firmandis applicanda?
Et haec tamen haud raro praescribi videoas.
Sed externus quoque huiusc modi reme-
diorum vsus in iis exemplis, quibus alioqui
conuenit, facile noxious euadere, internis-
que locis damna inferre potest, quandocun-
que illic, vbi applicantur, vulnerum aut
vulnerum oscula patent. Doloris colici satur-
nini memorabile exemplum, quod his ipsis
caussis debebatur, vidit nuper optimus
PRAESES noster, eiusque historiam nobis-
cum beneuole communicauit. Vnde cum
moneri facile possint alii, ne id genus medi-
camentis abutantur: opera facturus pre-
mium mihi visus sum, si, speciminis acade-
mici gratia, hoc ipsum exemplum luculen-
ter commentarer.

Morbi

§. I.

Morbi historia.

Nundinis huius anni vernalibus, inter hominum mercatus causa aduenientium confluxum, Traiectum ad Viadrum accessit quoque Varsavia mercator quidam Iudeus, circiter quadragenarius: qui, multa in itinere turbulentae frigidaeque tempestatis incommoda passus, dum hic vesperi aduenit, et se ex diapnœ suppressa male habere putat, medicum per alias compellat, et medicamentum quoddam, perspirationi adiuuandæ idoneum, rogat. Datae sunt ipsi pilulae, ex sesquigrano sulphuris antimonii aurati, tertium præcipitati, cum liquiritiae succo in pilularum formam coacto, constantes, eadem nocte, dum cubitum iret, adsumendæ; simulque aliquot vasculis infusi theaformis florum sambucinorum ut est iussus. Vix illuxerat sequens dies cum PRAESES noster ad aegrotum vocatur. Inuenit ille eundem in lecto anxie se iactitatem, ciulantem, pallentem, tremulum, frigido sudore perfusum, et velut morti vicinum. Urna mingebari pauca, aquosa, cum frequenti inani miendi conatu intercurrente. Aluus erat adstricta, inter acutissimos intestinorum dolores, tenesmosque saepius accedentes, per interualla remittentes, denuoque mox recrudescentes. Inter haec quoque cardialgia cordisque palpitatio aegrum excruciat. Nec deerant anxii vomendi conatus,

A 3

inter-

interdum vero viridescentis suburae vomitu comitati. Abdomen mox turgebat, mox velut retrorsum et ad vertebrae contrahebatur. Cum his torminibus haud raro quoque lipothymia alternabat.

§. II.

Pulsus intestinalis coniunctus.

Singulare autem phaenomenon obseruanti medico offerebant arteriarum pulsationes, quod haec inter atrocissima, de quibus diximus, symptomata, prouida atque circumspeta explorantium digitorum ad carpum applicatione, est deprehensum. Explicatu vero admodum haec sunt difficultia. Generatim in intervallis ictuum, siue magnitudinem species, siue temporis periodum, memorabilis intererat inaequalitas. Binis enim tribus pulsationibus, vtcunque satis fortibus atque aequalibus, succedebant protinus bini tresue ictus depressores, celeriores, in successione magis sibi vicinae, motuque velut clandestino subrepentes; adeo, ut a digito tangente vix percipi dignoscique possent. Hic arteriarum status idem fuit per tres integros dies, eoque tempore interdum pulsus intermittebat, quandocunque vehemens cordis palpitatio ceteris symptomatibus interuenit. Nisi egregie fallor, peculiarem hunc pulsus isti respondere existimo pulsuum generi, quod in noua ista Gallorum doctrina sphygmica, quae organicos effinxit pulsus, nomen *intestinalis* pulsus est adeptum, et quod satis acute atque exquisite, post BORDEVIVM a) atque WETSCHIVN b), descriptis illustris

GRV-

a) In *Recherches sur le pouls*, Tom. I. pag. 86. seq. edit. Paris. 1768.

b) In *Medicina ex pulsu*; pag. 97. et 145. edit. Vindobonensi. 1770.

GRVNERVS c). Iisdem auctoribus pulsus hic testis perhibetur praesentium variarum sordium atque acridinum intestinalium: praesertim si ructus, flatus, murmura, ventrisque inflationes intercurrant. Mistratus omnino est **PPAESSES** noster, vnde hoc in aegroto talis oriretur pulsus, qualem ipse olim, dum adhuc Halae medicinam faciebat, haud raro in aegris, saturnina colica laborantibus, obseruauerat, qui Hetstadii, oppidulo Mansfeldico, ab Hala haud procul distante, in aliquando ex consortio cupri, ope plumbi, argento (*Seigerhütte*) occupabantur.

§. III.

Saturnina morbi cauffa.

Ergo id ante orania egit medicus, ut veram tot tantorumque cruciatuum detegeret cauffam: quippe qua ignorata, nihil certae opis adferri posse, facile intelligebat. Ipse aegrotus, qui initium horum dolorum vna circiter hora post adsumtas illas pilulas (§. I.) senserat, in has omnem culpam absolute referebat. Facile autem medicus intellexit, fieri non potuisse, vt ab vnica sesquigrani sulphuris antimoniales dosi tanti mouerentur tumultus; subesse potius latentem quandam cauffam, cui hcec omnia debeantur. In hanc igitur cum ipse sollicite inquireret, et tumidum quoque atque expansum abdomen forte peruestigaret; ecce! ex improviso vidit dextrum scroti latus amplio quodam emplastro velut inuolutum. Sciscitatus, quid hoc rei esset, remotoque protinus emplastro, comperit ex ipso aegroto:

fibi

c) In *Semiorice physiol. et patholog.*, pag. 148. seq. Halae, 1775.

sibi ex aliquot iam annis interdum intumescere cum satis graui dolore dextrum testiculum, simulque adesse in inferiori et posteriori scroti, hoc in latere, loco vlcus quoddam; contra quae mala data essent a chirurgo quodam Varsauiensi bina vnguenta: alterum, quod turundae ope in vlcus quotidie immittebatur; alterum vero, quod linteo illitum scroto extrinsecus imponebatur. Cum vtrumque inspiceretur, deprehensum est prius illud ceratum saturni Gouardianum; posterius vero vnguentum album camphoratum. His remediis externis iam per aliquot mensium interuallum continuo vsus erat aeger. Ipsum, dum explorebatur, vlcus erat trium linearum Parisiensem latum, et in ipsum dextrum scroti saccum penetrabat; in quo etiam, exemta turunda, reliquiae cerati saturnini sunt animaduersae.

§. IV.

Miasma venereum coniunctum.

Medici nunc intererat, non solum huius vleris, quod probabiliter venereum videbatur, origines altius indagare, verum etiam definire certis ex argumentis, vtrum enormes isti dolores colici ad hanc venereum, an ad aliam caussam referri mereantur? Multis quaestionibus hanc in rem propositis, tandem fassus est aeger: se tres ante annos virulenta gonorrhoea esse adfectum; cui tollendae medici cuiusdam Varsauiensis operam consiliumque adhibuerit. Nondum exactis duabus hebdomadibus, acceptisque inter haec, quae adsumpsit, pulueribus, pilulis, mixturisque concentratis, nescio quibus, foe-

foedum desit vrethrae stillicidium, et sanus sibi vi-
fus atque a medico iudicatus aeger itineri paullo lon-
ginquiori se commisit. Vix dum autem media iti-
neris pars erat absoluta, cum dexter intumesceret te-
sticulus, penisque glans atque scrotum hinc inde vlc-
cusculis minoribus, planis, pruriginosis, carcinodi-
bus, obsideretur. Adiit ergo aeger chirurgum,
quem in itinere consulere potuit, iussusque est, tu-
menti testiculo per aliquot dies imponere cataplasma-
ta quaedam, lacte intrita; vnde, ista ad emollien-
tium classem pertinuisse, suspicio esse potest. Ipsa
autem vlcera frequenter lata sunt aqua quadam leu-
ter colorata, quae forte fuit phagedaenica pharma-
copoeorum. Forte fortuna sexto circiter huius cura-
tionis die pristina rediit gonorrhœa, et, dum stillat
haec, detumnit testis, et pleraque ista vlcuscula eu-
nuerunt. Quis non videt hic alternam venereæ im-
puritatis translationem? Vlcerum vnicum, quod
etiamnunc supereft, respuit sanationem. Varsauiam
redux a priori medico denuo foedo profluvio obicem
poni, passus est. Inde exacerbatum vlcus tandem
peredit scrotum, et mox intumuit, mox detumuit,
per interualla testis. Tum chirurgi curae se commisit
aeger: a quo, interposito simul decocti lignorum
vſu, cetera, quae paullo antea recensui, externe
sunt applicata.

§. V.

Epicrisis aetiologica.

Tametsi nunc satis abunde constabat, praesen-
tem aegrum ab illa singulari acrimonia venerea non
esse immunem: aequa tamen nondum compertum
erat

B

erat atque expeditum, huic quoque, tanquam causae, atrocia ista, quae enarrauimus, mala in acceptis esse referenda. Certe, si vel grauissima, quae vñquam attentorum obseruatorum experientia in siphyliticis adnotauit, symptomata colligamus atque inuicem comparemus, nequaquam conueniunt cum iis, quae huic aegro accidebant. Vtut enim lubenter concedi potest, fieri posse, vt materies vñerea, ab externis locis retroupulta, et forte ad intestinalem tubum reiecta, aut etiam extrinsecus adhuc in exterioribus partibus sensibilioris naturae, verbi causa, testiculis, haerens, easdemque irritans, rodens, inflammandis, et hinc simul consentientes nerois infestans, colicos, aliosque dolores excitet, et passim quoque spasmos efficiat: tamen ortas exinde tam rebelles alui obstipationes, acutos vomendi conatus, graues tenesmos, animi defectiones, et cetera, quae hic vidimus, nunquam vidimus illic, nec ab aliis visa legimus. Contra ea, si omnia atque singula pathemata, quae in saturnina colica obseruantibus offeruntur d) et quae ipsi quoque alias conspeximus, conferamus cum his, quae tunc contingebant, dubii haerere nullo possumus modo, quin hunc quoque atrocem morbum istius aegroti ex saturnino fonte deriuemus. Neque adeo difficilis atque impedita existimari potest via, qua noxius iste subdolusque

Satur-

d) Confer IOANNEM GODOFREDVM HENCKELIVM von der Bergsucht und Hüttenkazze; Dresdae, 1745. et IOANNEM GUILIELMVUM ILSEMANN in dissertatione de colica saturnina metallurgorum; Goettingae, 1752. vt, quae nemo medicorum ignorare potest, hac de re scripta GRASHVISII, HAENII, TISSOTI, TRONCHINI, aliorumque silentio praetermittam.

Saturnus in venulas subrepigit, et cum circumfluentibus liquoribus ad intima viscera est prouolutus. Haec patebunt apertius ex iis, quae protinus a nobis disputantur.

§. VI.

Saturninum venenum quomodo suscepimus.

Atque hic repetere nos oportet ex anatomis physiologicisque doctrinis, quae ibidem indefessis acutissimorum dissectorum laboribus ita aperite sunt demonstrata, ut in contentionem amplius venire nequeant: hiare nimirum vbiuis in cauis loculisque, quoscunque in internis corporis humani partibus natura effinxit formauitque, infinita minimorum varii generis vasculorum oscula; quorum alia perpetuo halitu madorem aut aquulam tenuissimam in sua caua deponunt, alia contra eandem, continuo quasi suetu, sorbent, et ad maiores trunculos illicque contentos liquores, perpetuo circuitu motos, amendant. Nec aliter haec omnia in scroti cauis eueniire, eadem anatome atque physiologia docet. Quae si ad praesens, quod exposuimus, exemplum referimus, sequentia nobis seorsim consideranda videtur. Primo ex ante dictis iam manifestum est, turundam illam, saturnino cerato perunctam, ulcerique profunde, in ipsum usque scroti cauum, quotidie immissam, illic semper aliquam cerati huius portionem deposuisse. Deinde in hoc cerato Saturnum ab acetili acido iam ita esse praeparatum, ut a quolibet aquoso liquore, cuius generis quoque est exhalabilis ille vapor, facilime solui, solutusque cum suo menstruo a sorbentibus venularum osculis promte-

B 2

hau-

hauriri, adeoque reliquis animalibus humoribus adfundi possit. Neque hunc euentum impedit inconcinna illa olei ceraeque additio: quoniam, licet exactissima cum saturni extracto fiat mixtio, nunquam tamen eorum, quae adsinitate chemica prorsus inter se distant, firma erit vno cohaesioque. His ex rationibus fieri non potuit, quin pedentim in hoc aer-groto saturnina infectio vniuersum per corpus diffunderetur, et in ipsis denique intestinalorum reticulis vasculosis etiam deposita haereret. Omittam nunc forte etiam aliquid saturnini ex vnguento isto albo sorpisse inhalantia vasculorum cutanearum in scroto oscula.

§. V11.

Et actuosum redditum.

Dum ergo, ut a vero non alienum videtur, in intestinalibus tunicis haerebat, et velut in latibulis latebat saturninum venenum, nouo tantum opus erat incitamento, quod illud extricaret, et mobile atque actuosum redderet. Atque hunc impetum, hoc incitamentum, forte fortuna effecit, parua licet ceteroqui dosi a medico datum, sulphur antimoniī auratum. Ex chemicis enim doctrinis quilibet facile doceri potest, huic sulphuri semper inhaerere aliquid regulinae, quae antimonio inest, portionis, vel in ipsa minima copia insigniter ad irritandum efficacis. Vnde cognitu explicatuque difficile esse nequit, quomodo sit factum, ut hinc peristalticus intestinalis motus viuidior, adfluxus liquoris gastrici entericique copiosior, vis proxime haerentis veneni saturnini expeditior actuosiorque, et his modis denique varii spasmī efficaces redderentur; a quibus tandem

dem vniuersum paris neruorum vagi intercostalisque systema, quod haec per viscera quaquaversus dispergitur, et infinitis plexibus gangliisque connectitur, male adfici oportuit. Quanam nunc ratione omnia illa, quae supra commemorauimus, doloris huius colici symptomata hinc sint enata, in praesenti non disputabimus: quoniam haec ab iis, qui paullo ante sunt nominati, scriptoribus satis curate sunt explicata. Iis autem non aduersabimur, qui partim saepe interceptam sub itinere perspirationem insensilem, partim quoque latens miasma venereum, ad excitandam saturnini veneni vim suas contulisse symbolas, contendent.

§. VIII.

Methodus medendi generatim.

Venimus nunc ex instituto nostro ad medendi methodum, quae huius generis colicis doloribus tollendis conuenientissime adhiberi potest. Atque hic omnino, si medicorum euoluimus scripta, valde inter se discrepantes deprehendimus sententias: adeo, ut quena ex his optima et maxime fructuosa sit medicandae huius colicae ratio, adhuc in contentione versetur. Multa hoc super argumento satis quidem subtiliter, sed ad morbi naturam admodum accommodate, disputauit illustris quondam ANTONIUS de HAEN^{e)}: qui, collectis omnibus singulisque primiorum hac de re commentatorum placitis, haec tandem ad tres reuocauit classes, et de earundem qualibet critico iudicio suam interposuit aestimationem. Prima classe comprehendit eos, qui omnem sanationis spem in emeticorum vsu ponunt:

B 3

rati,

e) In *Ratione medendi*; Part. III. pag. 78. seqq.

rati, quo citius efficaciusque acris illa materies ex intestinorum tractu eiicitur, eo certius praesentiusque fore auxilium. Tametsi vero in robustis, nec dum deperdita intestinalium fibrarum contractili natura, profuturum forte hoc ipsum haud negat remedium. **HAENIVS:** tamen adserit quoque probabilibus argumentis, ancipitem semper esse euentum, periculi saepe plenum, et auctis incitatisque neruorum convolutionibus, immo ipsa morte subsecuta, notatum. Ad alteram classem refert istos, qui solis vtuntur purgantibus emollientibusque medicamentis, donec omne, quod est in intestinis irritamento atque obstriculo, lenierint, reserauerint, propulerintque. Lentiorum quidem iudicat **HAENIVS** hanc methodum, sed priori tutiorem atque certiore. **Tertiae** denique classi subiecit eos, qui paucioribus euacuantibus usi, copiose applicatis interne externeque emollientibus, potissimum oleofisis, opio prudenter circumspetque interposito, atrocis huius morbi medelam instituunt absoluuntque. Huic methodo ipse illustris vir maxime fauet, et ob lenitatem aequem, ac certitudinem reliquis omnibus praefert.

§. IX.

Methodus huic aegroto adhibita.

Supereft, vt, quanam medendi ratione acer-
bissimus doloris colici paroxysmus hoc in aegro, cu-
ius historiam supra scripsimus, a medico sit supera-
tus, accurate dicamus. In tantis cruciatibus, quan-
ti hic obserabantur, in tot grauissimis symptomati-
bus coniunctis, passim conuulsis neruis, animi de-
fecti-

fectibus, viribus fractis, et id genus ceteris, ne per
 somnium quidem de adhibendo emetico cogitari po-
 terat. Accessit, quod, sicuti natura ipsa vomendi
 conatus vomitusque ipsos moliretur, vehementes in
 affecto testiculo coniunctoque spermatico funiculo
 adeo exsurerent dolores, ut exinde huius partis tu-
 mor maiora statim capere sit visus incrementa. Hac
 rerum complicatione monitus medicus prius de mo-
 derando et coercendo paroxysmo colico cogitari
 oportere, ratus est, quam animum ad expellendum
 exterminandumque miasma venereum adiiceret.
 Tertia igitur ex paullo ante descriptis methodis clas-
 sis huic aegro conuenientissima est visa: postquam
 antea, ne nouum saturninum inquinamentum san-
 guini submitteretur, prouide erat cautum. Ergo
 statim ex ulceris sinu turunda illa saturnina est extra-
 cta, loculusque scroti, quo pertingebat vlcus, lacte
 tepido aliquoties, syringae opere, a recrementis satur-
 ninis extersus. Dein ulceris osculum solis linteis car-
 ptis est obrectum, superiniectumque emplastrum,
 ex eius, quod de cicuta nomen habet, duabus par-
 tibus, et emplastri de ammoniaco una parte, con-
 stans. Super hoc saepius imposita sunt cataplasma-
 ta, ex vulgaribus speciebus emollientibus, calido
 lacte et lini oleo intritis, parata. Haec ad testem
 affectum. Singulatim autem, doloris colici caussa,
 iussus est aeger copiose frequenterque, sed medio-
 cribus dosibus, bibere lac, aut decoctum hordei
 auenaeque excorticatae meracum, itemque radicis
 althaeae aut salap decoctum, Sago granula lacte de-
 cotta, et omnia butyro recenti largissime imbuta.

Subin-

Subinde quoque hausit aeger iuscula, ex pedibus vitulinis aut veruecinis cocta. Altero a medici ingressu die, cum omnium pessime se haberet aegrotus, neruique frequenter conuellerentur, ter hunc per diem datae sunt tinturae thebaicae decem guttulae cum cochleari vini vetustioris Rhenani. Inde sopitis conuulsionibus satis placidam habuit aeger noctem subsecutam. Tertio die iam remissiores prioribus fuerunt dolores colici, pulsusque ille, quem descripsimus, intestinalis saepius cessauit, simplici celeri et constricto tunc animaduertendo. Quarto die omnia relata symptomata euaserunt moderatissima, et ab his quoque aegrotus quinto die perfecte est liberatus. Toto hoc quinque dierum interuallo identidem repetita est applicatio clysmatum emollientium, ex iisdem remedii mucilaginosis et gelatinosis atque paregoricis, quae partim potui, partim cataplasmatibus, inseruiebant, coctorum, et dimidia parte olei lini permistorum. Iisdem decoctis oleosis madefacti panni lanei abdomini quoque tepide sunt impositi, scopo paregorico.

§. X. Scholion.

Quieta intestinis reddita, nunc ipsius superstitis ulceris testiculique venerei ratio est habita. Sed, quoniam, quae hic sint capta consilia, et quinam successerint euentus, non expedit iam differere, nec instituti argumenti, quod professi sumus, proprius interest: liceat nobis, confidere negotium, scribendique facere finem.

Pag. 3. lin. 8. mon l. non; lin. ead. circumspecta l. circumspecta.
pag. 7. lin. 5. PPAESES l. PRAESES lin. 23. hec l. haec.


v


01 A 6631

ULB Halle
004 931 246

3







21

DOLOREM
COLICVM SATVRNINVM
PVLSVMQVE INTESTINALEM
AB VSV SATVRNINORVM
EXTERNO ORTVM

* * * * * P R A E S I D E * * * * *

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. DECEMBERIS MDCCCLXXXVII.

DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME IMPETRATVRVS

PVBLICE DESCRIBET

THEOPHILVS HOFFMANN,
DROSSENSIS NEO - MARCHICVS.



TRIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

